



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio I. De significatione hujus dictonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Ad secundam rationem nego maiorem, & minorem.

Ad tertiam concedo maiorem & nego minorem, ad probationem illius concedo illud, & nego ultimam partem illius probationis.

94 Ad primum tertie sententiae Respondeo concedendo maiorem, & negando minorem, ad probationem illius, quoad secundam partem, concedo maiorem & ultimam partem illius argumenti; & ratio est, quia hæc continuatio in multis differt à quantitativa, primo quia quantitativa fit per extensionem partium quantitatis in partibus subiecti, habitualis vero minime, sed per multiplicatam partium habitus in eodem indivisibili subiecto in ordine ad diversa obiecta: secundo, quia quantitativa extensio proprie dicitur esse per commensurationem in ordine ad locum, hæc vero minime: denique quod notandum est, extensio quantitativa oritur ex peculiari repugnantia, quam partes eius propter impenetrabilitatem ortam à mole corporea habent respectu eiusdem spatij: at vero extensio habitus non oritur, nisi ex peculiari ordine transcendentali ad varia obiecta: atque una simplex qualitas non potest respicere.

Ad secundum concedo antecedens, & nego consequens: ad probationem distinguo, eminenter, concedo; formaliter nego.

95 Ad ultimum nego maiorem, quia non est representativa cum non sit ad representandum ex sua natura, sed ad vniendum partes representantes, puncta enim continuativa non sunt representativa obiecti, neque inclinatio ad illud: nam indivisibile speciei expresse materialis, non representat indivisibile coloris, alias videretur à visu, quia representari in visione, & videri idem sunt; sed non videntur indivisibilia, quia sensu imperceptibilia: ergo. Puncta enim solum servantur ad vniendum, sicut ipsa vniō intellectus ad animam non est intellectiva, sed solum vniō intellectivi, quia modus non sequitur in omnibus rem, alias ubi, potentia, relatio, & conservatio intellectus, quæ sunt modi illius, intelligerent aut representarent, quod est falsum.



DISPUTATIO II.

De essentia, & natura entis in communi.

QUÆSTIO I.

De significatione huius dictionis.

 &c dicitio, ens, est participium verbi sum; sicut existens est participium verbi existo, & vivens est participium verbi vivo, habetque varias significationes.

1 Primo significat essentiam rei, hoc est primum & intimum constitutum alicuius, à quo tanquam à radice fluunt passionem rei, vel cui conveniunt attributa, ut animal rationale in homine, & substantia spiritualis intellectiva completa in Angelo, à quibus fluunt proprietates, &c.

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

passiones, quæ conveniunt homini & Angelis; tandem ut est divinitas in Deo, & hoc docet D. Thomas quod libeto. 2. art. 3. his verbis; Verum est quod hoc nomen, ens, secundum quod importat rem, cui competit huiusmodi esse, à quo tanquam à radice fluunt proprietates; sic significat essentiam rei, & dividitur per decem genera eadem significatione sumptis 2. contra Gen. & super secundum librum met. Arist. lect. 2. & 3. p. 9. 3. art. 4. & 5. in eadem acceptione etiam sumptis Aristoteles hanc dictionem in Dialectica, in prædicamentis C. 4. met. cap. 5. ubi ait; est quædam scientia, quæ speculatur ens, propterea est; & secundum translationem Argipoli secundum quod est ens, & quæ ei per se insunt; ubi advertit D. Thomas illa verba, ens, secundum quod ens est, importare essentiam; quia ut ait commentator. 3. de anim. tom. 4. ens ut essentiam importat, est terminus speculationis primæ philosophiæ; & ideo ait D. August. 10. de civit. & 2. de Trinit. cap. 3. ens divinum esse unum in divinis, id est una essentia in tribus personis, ut definitur in cap. Damnamus, de summa Trinit. & fide cathol. & in 6. Synodo a. 11. & in Concilio Nysen. Ephes. & alijs.

Secundo significat existentiam rei, hoc est ipsum actuale exercitium essendi, per quod res dicitur extra causas esse, ut patet ex Cicerone, 3. de finib. & 4. Tuscul. in quo sensu sumitur à D. Thoma 1. contra Gen. cap. 25. & 26. ubi sumit ens secundum quod importat actualitatem per quam res actualis distinguitur ab entitate in potentia; sed tale distinctivum est existentia: Ergo ens significat ex mente D. Thomæ actuale exercitium essendi, seu actualem existentiam, & solet communiter dici ens participiale, sicut vivens, si ut participium sumatur, significare actualem usum, seu exercitium vitæ; hæc significatio fundata est in proprietate, & rigore verbi, sum, quod absolute dictum actuale esse, seu existere denotat; unde etiam Dialectici dicunt in propositione de secundo adiacente, verbum est nunquam absolvi à tempore, & patet etiam ex communi usu; nam si quis dicat, Adam est, facit propositionem falsam, quia significat ipsum existere; habet autem hoc verbum, sum, participium in ipso inclusum, in quod potest resolvij; & in hoc sensu solus Deus necessario est ens à se, quod significat nomen ineffabile, leoba. hæbræ; theagymaton, græcè: quod solius Dei est, per quod discriminatur à creaturis; ut notat D. Hieronym. in Psalm. 8. & Galatinus in sua arte cavalli. lib. 2. cap. 10. & 11. P. Delius in Magia. Valsq. 1. p. tom. 1. in proximiab. quod nomen, ut ait P. Alcazar super caput primum Apocalypsis, nor. 3. idem significat quod esse, quia ut efficaciter probant Bellarminus in arte hæbræ, Lypomanus & Theodoretus, sicut ens sumitur à verbo substantivo latino, sum; ita leoba sumitur à verbo substantivo hæbræo.

Unde multi hoc nomen explicant per illud Platonis in Tim. Oon; nam leoba habet tres dictiones וון, וון, וון, ibie, boia, vebia, quatuor solum literas in compendium redactas continens, per quas sic scribi solet וון; si autem integras dictiones velis ex hæbræo verbo ad verbum latinis vocibus exprimere, earum propria vis eiusmodi est, erit, est & fuit; quod tradidit in Apocalypsis. Ioannes alludens ad hoc nomen, cui ait: Gratia vobis, & pax ab eo, qui est.

M

est

est, & qui erat & qui venturus est; quasi illa tria tempora expresse dicat in nomine divino contineri; quo aperte demonstratur tali nomine existentiam divinam adumbrari, esseque illimitatum, ac infinitum divinitatis clarissime describi, quod manifeste docuit Nazianzenus *orat. 36. quæ est 4. de Theolog.* his verbis: Hæbræorum doctissimi, & antiquissimi, quique proprijs notis summum illud nomen honorandum duxerunt, quo esse Dei representatur, ac ne ijs quidem literis aliud quidam eorum, quæ post Deum sunt, scribi substituerunt. Et paulo post subiungit; tam sacro-sancto igitur nomine *leoba* sacrosanctum, & infinitam Dei esse, omnisque essentia interminum pelagus summo mysterio depingitur, cui consonat Eusebius *de præparatione evangelica. lib. 8. cap. 4. & lib. 11. c. 8.* & Fillo ludæus *lib. de vita Moysi.*

4 Lamina aurea, inquit Hieronimus, quæ Pontificis caput coronabat, nomine *leoba*, decorabatur esse Dei existentis, significante quod solis ijs, qui aures, & linguam sapientia purgatas, & puritate imbutas habent fas est audire nominareque. Itaque esse, seu ens, existens significantur supradicto nomine hæbræo, & ideo comprehendit tria illa tempora, qui est, qui erat, & qui venturus est; nam licet prædicatum existentiale non connotet in Dei tempus; nihilominus tamen quia divina ad similitudinem creaturarum rerum concipimus, in quibus existentia tempore mensuratur, ideo existentiam Dei tribus illis temporibus significamus, ad quod facit quod refert Plutarchus *lib. de Iside, & Osiri*, in quo asserit in Ægypto, Deum supremum hæc inscriptione depingi; Ego sum vniuersum, quod fuit, quod futurum est, quod est. Itaque ens quatenus significat existentiam omnino necessariam à se est proprium Dei, ratione cuius Deus loquens Moysi ait: *Ego sum, qui sum*; ratione cuius solet dici, creaturas nihil esse comparatione Dei, attamen si ens sumatur pro existere ut sic, convenit etiam propriissime creaturis, & sic adæquatam significatum eius erit quod est, unde apud Aristotelem *lib. 1. phys. tex. 17.* & *sepe alibi* loco entis ponitur, id quod est, id est quod habet actum essendi, seu existendi; & secundum hanc significationem verificatur illud Aristotelis *8. met. lib. 16.* ubi ait: ens non poni in definitionibus rerum, in quibus non ponitur existentia; & illud D. Thomæ *1. p. vbi ait, ens, primum essentialiter dici de Deo*, quia de solo Deo existere à se enunciat quidditative; quod etiam voluit dicere Avicenna, quem referunt Commentator, & D. Thomas *4. met. com. 30.* cum dixit, ens significare accidens, ipsum nimirum esse actuale, quod rebus accidere dixit cum eis possit auferri, & conferri; ideoque concipitur existentia quasi accidens, quod potest abesse, & adesse essentia non actuali sed possibili.

5 Tertiò, significat, ut ait Caietanus *lib. de ente, & essent.* omne id, quod potest esse subiectum propositionis affirmativæ, sive sit negatio, sive privatio, sive entitas positiva, & ideo solet dici, ens negativum, & ens positivum, ratione cuius formantur hæc propositiones, Petrus est cæcus, tenebræ sunt in aere.

6 Quarto significat ens substantiam, & ideo solet dici, accidens non esse ens, sed entis ens; id est aliquid præcipui entis, quod est substantia; ut patet ex Aristotele *7. lib. met. cap. 1. ibi*; patet

igitur, quod propter hanc substantiam nimirum, illorum quoque singula sunt, quare quod primo est ens, & non aliquid ens sed simpliciter ens substantia.

Ultimo significat omne quod habet esse, propterea abstrahit ab accidentali, & substantiali à modis, & à rebus, & quatenus potest convenire enti potentiali & actuali, & hoc modo sumitur nominaliter, & solet sic definiri, ens est quod non repugnat existere, vel quod potest existere realiter, illud potest sumitur non pro potentia physica, sed pro potentia logica, unde hoc modo prædicatur essentialiter de ente in actu, seu existentia, & de ente in potentia, vel in statu possibilitatis, quia utrique convenit non repugnantia ad existendum realiter, nam quod existit, non repugnat existere; quia ab actu ad potentiam bona est consequentia affirmativa, ut v.g. existit ergo potest existere, hoc est non repugnat existere; quia impossibile est, quod repugnet illud quod actu convenit; sed non repugnantia est potentia logica; ergo potest existere id, quod actu existit.

Item de ente in potentia, seu in statu possibilitatis est verum dicere, non repugnat existere; quia quod est possibile, distinguitur ab impossibili & à chimæra; quia possibile habet potentiam ad existendum, ac proinde habet non repugnantiam; è contra vero chimæra habet repugnantiam ad existendum, & sic nullo modo est ens potentiale seu in potentia, eo modo, quo possibile, sed ut notat P. Suarez ens potentiale non debet ita sumi, ut illud in potentia, seu potentiale sumatur privative, vel negative, quatenus opponitur enti in actu, sed significat solum ens, ut præcise dicit essentiam realem, quod valde diversum est; sicut enim abstractio præcise diversa est à negativa; ita ens nominaliter præcise sumptum, licet dicat essentiam, vel non repugnantiam ad existendum, non vero addit negationem, seu carentiam existentia, quatenus negationem, seu privationem addit ens, quando dicitur proprie, & toto rigore in potentia, & ideo ens nominaliter potest affirmari de Deo, & de creaturis existentibus vere, & propriè; ens autem in potentia minime.

QVÆSTIO II.

Verum si ens præscindatur simpliciter à suis inferioribus sit analogum, vel univocum?

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur.

PRIMA sententia asserit ens esse analogum simpliciter, etiam si ab inferioribus præscindatur absolute, ita P. Suar. *in met. disp. 32. sect. 2. & disp. 28. sect. 1.* Capreol. *in 1. P. Rubius, & alij.*

Probatur primo authoritate Aristotelis *lib. 5. 1. metaph. cap. 6.* ubi ait; illa esse vnum secundum analogiam quæcunque se habent, ut aliud ad aliud; sed